

Conventus Academiae Latinitati Fovendae

Casertae, a die 5 usque ad diem 7 mensis Iunii 2025

“Vinculum gentium sive commentarii periodici per saecula Latine editi”

Thema:

Mediante saeculo XVII apparuerunt prima periodica docta, propterea edita, ut nuntii Reipublicae litterariae in conspectu ponerentur. Ea quidem multis linguis edebantur – etiam Latine. Non solum periodica docta Latine foras dabantur, sed etiam ephemerides ad nuntios de statu rerum communium populo referendos interdum hāc linguā evulgabantur. Saeculo XIX ineunte fuerunt etiam nonnulla periodica litteraria litteris Latinis colendis dicata, quibus ea potissimum carmina continebantur, quae ipsis eis temporibus erant conscripta.

Saeculo XIX exeunte novum genus periodicorum est exortum: periodica quae Latine edebantur linguae Latinae colendae gratiā. Quorum editores praesertim id studebant ut coniungerentur homines Latinitati redivivae faventes. Talia periodica non semel fines nationum transgrediebantur, in plurimis terris legebantur atque indidem scriptores sibi inveniebant.

Temporis spatio quod est inter duo bella totius orbis, ortae sunt complures societates Latinae linguae fovendae, et illae quoque edebant periodica Latina.

Anno 1956, paucis annis post bellum alterum universale, motus linguae Latinae refocillandae, qui antea inter plures gentes atque societates erat dispersus, sollemniter inauguratus est in conventu Avennionensi et inde nomen Latinitatis Viventis sive Vivae accepit. Post conventum illum nata est *Vita Latina* Avennionensis (1957-), cum alii commentarii qui sunt *Palaestra Latina* Hispana (1930-1975) atque *Latinitas* Vaticana (1953-) strenue operas suas pergerent. Has partes suppleverunt et *Vox Latina* Saravipontana (1965-; ante annum 1975 Monaci edebatur) et *Melissa* Bruxellensis (1984-). Fuerunt etiam periodica alia, minora quidem et hodie minus nota.

En argumenta necnon quaestiones dignissimae quae investigentur.

1. Periodica docta Latine edita. Quam multa fuerunt? Quid continebant? Ubi divulgabantur, a quibus? Potueruntne haec periodica supponere commercia epistularia inter doctos quae antea fuerunt?
2. Ephemerides Latinae nuntios referentes. Quae fuerunt? Ubi edebantur? Qui edebant? Quam late legebantur? Quidnam superest? Quidnam discimus de diversis civitatibus, e quibus id genus ephemerides Latinae prodierunt?
3. Periodica litteraria ad litteras Latinas colendas, quae magna ex parte Latine edebantur.
4. Periodica Latinitatis Vivae. Quid de finibus propositis? De consiliis? Quae fuerunt argumenta? Qui fuerunt scriptores? Quales vitae eorum? Quid de commerciis inter illos? Erantne coniuncti societatibus

quibusdam? Multane disci possunt ex commerciis epistularum in periodicis publicatis? Quid de Latinitate adhibita? De genere eius, de vocabulis? Quae fuere virtutes, quae vitia carminum quae ibi divulgabantur? Quid in eis commentariis comperimus de cultu civili in genere? Quid variae gentes de Latinitate deque antiquorum cultu sensisse perhibentur? Quales fines Latinitatis proponebant et scriptores et editores? Quomodo linguam docere volebant?

6. Rete mundanum. Quae fuerunt initia? Quae spes in hac technologia nova ponebantur? Quomodo Latinitati prodesse videbatur? Quomodo historia scribenda?

Invitatio:

Invitantur omnes praecipue sodales et ii etiam, quorum haec res interest **ut ante Kalendas Februarias anni 2025** titulum propositum, una cum summario (verborum minimum CL), mittant ad **ConventusALF2025@gmail.com**. Academia tres viros designabit, qui proposita pendant atque de eis diiudicent: oratores autem de exitu propositi certiores fient **ante Kalendas Martias**

Programma:

Omnia ad programma quae spectant indicabuntur [in sede nostra](#)

Anglice:

This is an open call from the long-standing Academia Latinitati Fovendae for a conference on the history of Latin periodicals, from the seventeenth century up to nowadays. You are kindly encouraged to send your proposals, for a presentation (30 minutes) which will lead to a publication with a major international publisher. Please be aware that the only language for presenting and publication will be Latin. However, this should not deter any Latinist. Interaction during the conference itself can happen in other languages, in case you do not have immediate fluency in spoken Latin.